

Praefatio.

Quum hoc scripto certas quasdam leges de temporibus verbi Hebraici constituere mihi proposuerim, haud me fugit, difficillimam rem et a multis frustra jam tentatam me suscepisse. Mihi quidem, quae Gesenius et Ewaldus in grammaticis suis docuerunt, minime satisfecerunt, quum ille temere et sine principio, ut ajunt, rem tractasse, hic statuens tempora apud Hebraeos in modorum ratione niti, nimis longe a natura humana videatur aberrasse. Abhorret enim a natura humana, prius modorum quam temporum discrimina invenisse. Nec magis mihi probantur, quae in duobus programmatis de hac re legi. Alterum (Aquis 35.), „De verbi Hebraici formis, quas tempora plerumque vocant,“ scriptum a D. Klappero, similia docet atque Ewaldus, alterum (Vratislaviae 36.) „Observationes de vi atque usu temporum sermonis Hebraici“ Dr. Klossmanni continet, qui quidem recte apud Hebraeos rem ad id tempus referri negat, quo quis loquatur; sed quod omnem temporis rationem in re ipsa, de qua agitur, inesse, et discrimine temporum nihil nisi diversas rationes indicari docet, quae inter subjectum et praedicatum intercedant, hoc ingeniosius quam verius disputavit. Itaque dum libellum illum dignum habeo, qui legatur, pleraque tamen in nugas abiisse dixerim. Num ego rectius quam ceteri de hac re disputaverim, judicabunt alii. Quo autem melius ea ratio, quam in definiendis Hebraici verbi temporibus inii, perspiciatur, legantur ea, quae de temporibus Latini verbi in programme a Schultzio Conrectore Brandenburgii 38. scripto optime et copiosissime disputata sunt. Ceterum quod in scripto meo maxime minorem Gesenii grammaticam respexi, id propterea factum, quod ille liber in scholis maxime frequentatur, et quod ea, quae scripsi, si vera videantur, etiam discentibus utilia esse volui. Scripsi Sundiae mense Augusto anni MDCCCXLIX.

De temporibus verbi Hebraici.

In definiendis temporibus verbi Hebraici, sive grammaticas linguae Hebraicae sive commentarios legis, ad libros veteris testamenti interpretandos a viris doctis scriptos, tot tantique errores obtinent, ut haud inutile esse videatur, operam in ea re illustranda collocare. Plerosque autem errores inde ortos puto, quod viri docti aut neglecto more dicendi solam rationem ducem sequuti sunt, aut contra tantum, quem singuli loci sensum efflagitent, spectantes, usu singularum formarum verbi ad certam legem non revocato, ex inventis exemplis temere rem absolvere posse sibi visi sunt. Ut autem talia ex sola ratione repeti non possunt, nisi accedunt exempla, sic ex solis exemplis et scriptorum usu grammaticas leges constitui posse negamus. Illae enim leges in ratione latent ex eaque hauriendae sunt; ut hauriantur, excitamur exemplis, quae leges sequuntur. Quare nunquam linguae lucem afferent, qui alterutrum ita negligunt, ut aut sola ratione rem absolvere velint, aut non nisi ad usum sese applicent. Documento sint Ewaldus et Gesenius. De illius doctrina jam supra dixi, hujus praecepta quam sint varia et temeraria, documento erit paragraphus 215 majoris grammaticae, cui inscripsit „*Lehrgebäude*“. Cujus paragraphi initium hoc est: „*Das Praesens Indicativi wird ausgedrückt a) durch das Praeteritum etc. Häufiger b) durch das Futurum, auch wohl das damit analoge gleichbedeutende Gerundium, und c) das Particium. Auch d) in Sätzen etc. durch den Infinitiv mit Präpositionen etc.*“ Similiaque, quae de imperfecto ceterisque temporibus sequuntur. His quid confusius, quid magis temere scriptum! Melius fuit dicere, singulis quibusque formis verbi Hebraici singula quaeque tempora reddi posse. Brevius quidem sic dixisset vir doctus. Nec melius reliqui, qui de hac re scripserunt. Apparet autem in interpretandis scriptis Hebraicis de tempore, quo quid actum sit, sic nihil certi constitui posse, nec intelligitur, cur omnino Hebraei pluribus temporum formis usi sint.

Ne igitur incerti huc illuc feramur, ante omnia certis finibus singularum formarum notiones definiemus; quo facto haud difficile erit ostendere, cur eadem forma, dum suam retinet vim, diversis tamen vel Latini vel Germanici verbi formis reddi possit. Quare primum de natura illarum formarum disputabimus, tum singula exempla illustrabimus, et maxime ea, quae in breviori Gesenii gram-

matica leguntur, denique tota aliquot capita et ex historicis libris et ex poëticis et propheticis desumta ita interpretabimur, ut, quae disputaverimus, vera esse, magis ostendatur.

Quaerentibus autem, qua ratione omnino tempus, quo aliquid factum esse videatur, definiri possit, facile apparebit, aut respici posse tempus, quo is, qui rem gestam narret, loquatur, aut tempus, quo aliud quid gestum sit; quarum rationum alteram absolutam, alteram relativam dicimus. Sive autem hoc, sive illud respicitur, tripartitum tempus est, quum aut sit praeteritum, aut praesens, aut futurum. Et quum relativae rationi absoluta possit inhaerere, ad omnia temporum discrimina certis formis exprimenda novem temporum formae sufficient, nisi forte praeterea certae formae accedent, quibus sola absoluta ratio reddatur, id quod apud Graecos aoristo factum videmus. Novem autem illarum formarum tribus, quod absolute praesens, item tribus, quod absolute praeteritum, tribus denique, quod absolute futurum est, ita indicabitur, ut ternarum quarumque una, quod relative praesens, altera, quod relative praeteritum, tertia, quod relative futurum sit, simul significetur. Quo autem magis exculta erit aliqua lingua, eo accuratius omnia haec certis formis distinguentur. Atque id apud Graecos et Latinos et Germanos factum videmus, nisi quod, quae relative futura videantur, non certis formis verbi exprimuntur, sed verbis auxiliaribus (*μελλειν*, futurum esse, *im Begriff sein* etc.) et apud Latinos etiam conjugatione periphrastica, quam dicunt.

Longe autem alia est ratio Hebraici verbi. Hebraei enim tantum relative tempus rerum gestarum definiunt, nulla ratione ejus temporis, quo quis loquatur, habita; vel rectius unam tantum rationem ineunt temporis definiendi. Idque minus propterea factum dixerim, quod ob nimiam linguae vetustatem formae temporum parum excultae, omnisque res tanquam rudis relicta sit, quam quod nimis vivo ingenio Hebraei sint impediti, quominus accuratius tempus rei alicujus gestae definirent. Hebraei igitur mente sua temporis aliquod quasi punctum figunt, idque solum respiciunt in definiendo eo tempore, quo aliquid gestum volunt. Ad quod tempus definiendum tribus tantum formis opus erit, quum illo puncto temporis res aliqua aut praeterita, aut praesens, aut futura videri possit. Qua quidem in re certa lege non licet definire, quod tempus id sit, quod scriptoris animo observetur, quum Hebraei pro vivo suo et alacri ingenio haud raro in maxime varia tempora se rapi sinant, idque non minus in historicis quam in poëticis et propheticis libris. Singulis igitur quibusque locis illud tempus investigandum erit,

quo investigato facile erit, verbi formas recte interpretari. Solet autem in continuo sermone, ubi omnia cohaerent, cujusque rei gestae tempus ita definiri, ut fere id verbum, quod proxime antecessit, respiciatur. Itaque discrimina temporum Hebraeorum plerumque ei rationi respondent, quam apud Latinos relativam diximus (Zumptius actionem vocat.) Sed quia nihil obstat, quominus scriptor suum tempus respiciat, haud raro etiam altera ratio obtinet, quam absolutam diximus. Quum enim hoc solum spectetur, ut res aliqua alterius rei tempore definiatur, scilicet non refert, num id tempus, quo ipse scriptor loquitur, an aliud tempus respiciatur; quamquam ne tum quidem vere absolutam rationem dixerim, sed relativam pro absoluta; nec enim scriptor suum tempus ut suum, sed ut alienum videtur respexisse. Hoc certe tenendum, nunquam in uno verbo utramque rationem simul iniri posse, nec igitur, excepto aoristo, de quo infra disputabimus, formas verbi Hebraici Latino aut Graeco verbo respondere. Ex iis autem, quae diximus, intelligitur, tribus tantum formis temporum Hebraeis opus esse, easque habent. Sunt praeteritum, futurum, participium. Praeterito rem certo aliquo tempore jam perfectam, futuro futuram, participio praesentem indicant. Quarum formarum duae tantum, quas priores nominavi, vere verbales sunt, dum participium naturam nominis adjectivi habet. Quod non temere factum puto. Quum enim verbis, quod fit, nominibus, quod est, significetur, haud immerito id, quod praesens esse cogitabatur, sublata verbi notione adjectivi naturam induibat, non item perfectae aut futurae res, quippe quae mente fingi non possent, quin fieri viderentur. Ceterum longior est forma praeteriti et producta quasi, futuri brevior et correpta et quae propius ad imperativum accedat. Quod cur sit, non opus est multis ostendere.

Jam singularum formarum notiones, quales ex iis, quae diximus, derivandae sunt, accuratius describam.

Praeterito igitur omnes res exprimuntur, quae eo tempore, quod scriptoris animo obversatur, jam perfectae videntur. Itaque non solum quod tum, quum loquitur aliquis, sed etiam, quod quolibet alio tempore fit, sive praeteritum sive futurum ei, qui loquitur, est, hac forma pronuntiatur. Reddi igitur Latine potest vel perfecto, vel plusquamperfecto, vel futuro exacto; quamquam his formis Latini verbi non plane respondet; inest enim Latinis formis aliquid, quod in Hebraica desideratur, et quod is, qui sententiam aliquam in Latinum sermonem transfert, supplere debet. Eaque est ratio illa absoluta, quam diximus. Nisi

igitur constituto eo tempore, cujus ratione habita res aliqua perfecta dicitur, discerni non poterit, num perfecto, an plusquamperfecto, an futuro exacto Latine utendum sit, quia tum demum cognoscetur, quod tempus sit rei gestae, ratione ejus habita, qui loquitur. Atque ut supra jam in universum monuimus, ne tum quidem, quum Latine perfecto redditur, quamquam idem tempus, quo scriptor loquitur, respicitur, vere absoluta ratio est, sed relativa pro absoluta. Nec igitur, si Graece velis vertere, aoristo sed perfecto utaris.

Similis vero atque praeteriti usus est duarum reliquarum formarum. Ac participium quidem, quo significetur, quod relative praesens cogitatur, reddi potest Latinorum aut praesente, aut imperfecto, aut futuro primo; futurum autem proprie conjugatione periphrastica reddendum est, ut יִקְטֹל sit: aut erat interfecturus, aut est interfecturus, aut erit interfecturus, vel, ne quis putet huic formae desiderium inesse agendi, melius: futurum erat, ut interficeret cet. Apparet autem, ubi res aliqua ad idem tempus refertur, quo quis loquitur, has quoque formas ad similitudinem absolutarum accedere posse: ut participium sit pro praesente absoluto, futurum pro futuro absoluto. Futuri autem forma, ubi tempus futurum respicitur, distingui vix poterit ab ea, in qua praesens tempus respicitur, quum res futuro tempore futura etiam praesente tempore futura sit. Ubi autem res aliqua ad praeteritum tempus refertur, futuri forma ita legitur, ut alterum alterius tempori succedere videatur; quare non solum particulas יָשׁ et יָשׁוּ sequitur, sed etiam omnino ea forma est, qua res gestas Hebraei narrant. Quod quidem facilius nobis est intellectu comparantibus morem Berolinensibus haud inusitatum, qui narrantes aliquid non magis imperfectis quam futuris utantur. Hinc adeo factum est, ut Hebraei addito *waw* conversivo certam quandam formam, qua narrarent, finxerint, quam non solum pro absoluta esse, sed vere absolutam dixerim, quum plane respondeat Graecorum aoristo, Latinorum perfecto, nostro imperfecto historico. Eaque forma, quum *waw* illud conversivum ex verbo יָשׁוּ natum esse videatur, proprie significat: factum est, ut aliquid fieret. Nec mirum est ex iis, quae disputavimus, cur Hebraei futuro, non praeterito usi sint ad hoc tempus aoristicum efficiendum. Res enim gesta succedit demum ei tempori, quod יָשׁוּ verbo apud animum scriptoris jam constitutum est, nec alia in his ratio est, quam ibi, ubi יָשׁ particula antecessit. Quod aliter fieri non potuisse, magis etiam intelligetur, ubi Arabes comparaverimus, qui imperfectum haud raro verbo *kana*, sequente futuro, exprimunt, dum eodem

verbo, sequente praeterito, plusquamperfectum efficitur. Ceterum haud negligendum est, negationem futuro converso addi non posse. Qua in re Hebraei verissime sensisse mihi videntur. Quod enim non factum esse narratur, id quidem rectius relativa quam absoluta temporis forma exprimitur, quia eo, quod non fit, certum tempus constitui non potest; immo tempus alio modo jam definitum esse oportet, quo aliquid aut non gestum esse, aut non geri, aut non futurum indicetur. Quare negationem pro singulorum locorum natura aut praeteritum, aut participium, aut ipsum futurum sequitur.

Jam ut omnia, quae disputavimus, in unum colligamus, haec habemus:

Hebraeis, excepto futuro converso, nulla absoluta temporis forma est; tres illae formae, quas habent, relativum tempus exprimunt, atque adeo, ubi id tempus, quo scriptor loquitur, respicitur, id non ita fit, ut vere absolute dictum videatur, sed tantum ut relativa ratio sit pro absoluta.

Praeteritum igitur Latinorum perfecto, plusquamperfecto, futuro exacto respondet.

Participium praesenti, imperfecto, futuro I.

Futurum variis conjugationis periphrasticae temporibus.

Pro absoluto autem positum praeteritum est pro perfecto, participium pro praesente, futurum pro futuro I Latinorum.

His accedit futurum conversum, quod vere absolutum vel aoristicum est.

Jam paucis monendum, haud parvum discrimen inter historicam, poëticam, prophetica dictionem, quamquam illud discrimen facile referri poterit ad veram cujusvis formae notionem, qualem supra descripsimus. In historica igitur oratione, quum omnia, quae narrantur, ad praeteritum tempus referantur, forma praeteriti utuntur fere pro plusquamperfecto, participii pro imperfecto, futuri pro: futurum erat, ut, vel etiam ad eas res narrandas, quae aliis succedant. In poëtica, quippe in qua pleraque scribenti sint praesentia, praeteritum pro perfecto, participium pro praesente, futurum pro futuro I esse solet. In prophetica denique praeteritum pro futuro II, participium et futurum pro futuro I. Futura autem conversa ubique plane idem significant, nisi quod prophetae iis etiam ad res futuras depingendas utuntur, quas, quia alacri suo ingenio in futurum tempus quasi ipsi transferuntur, non solum vaticinantur, sed ut res gestas narrant, poëtae autem non minus saepe apud Hebraeos quam apud Graec-

eos et Latinos ea, quae in universum vera videntur, aliquando accidisse dicunt. Praeterea autem monendum, in singulis librorum partibus dictionem mutari; sic alia est ratio dicendi in historicis libris, ubi scriptor loquentem aliquem facit, vel canentem, vel etiam vaticinantem, in poëticiis, ubi poëta narrat aliquid factum aut vaticinetur futurum, in propheticis denique, ubi propheta aut carmina cantat, aut, quae vera sunt, docet, aut narrat, quae gesta sunt. Plerumque autem facile erit, in singulis locis veram temporis notionem invenire.

Nunc transibo ad exempla nonnulla illustranda, quae Gesenius in minore grammatica haud satis recte videtur interpretatus esse. § 124, 2 legitur: 1 M. 29, 17: רַחֵל הָיְתָה יְפֵת־תֵּאֵר *Rahel war schön von Gestalt.* Rectius dicetur: „*ist schön gewesen = war schön.*“ Eadem ratio reliquorum locorum, quos ibidem laudat. Addo Gen. I, 1, ubi בָּרָא non est „*schuf*“, sed „*hat geschaffen, ist Schöpfer.*“ — § 124, 3 Gesenius adtulit Ps. I, 1, ut doceret, praeteritum respondere posse nostro praesenti; sed parum recte. Vertendum enim „*der nicht gewandelt ist*“ etc., quia salus paratur, postquam res bene gesta est. Nec magis verum est, quod addit, praeterita et futura promiscue legi, ubi res vel manens et durans, vel repetita et in universum vera describatur. Exempla autem, quae habet, sic interpretanda: Ps. I, 1—3: Salus sit viro, qui non iverit etc., sed qui in lege Jehovae acquieverit, eam cogitaturus (vel ut cogitet) die nocteque, et qui factus sit similis arbori, fructum suum daturae etc., ut omnia, quae gerat, succedant. Ps. 44, 10—15 praeteritum וַנִּחַתְּ et aoristum וַתִּכְלִימֵנו eodem modo futurum sequitur, quo id exprimatur, quod antecedentibus verbis efficiatur. וְלֹא־תֵצֵא igitur est: „*ut non egrediaris.*“ Ea autem praeterita, quae in altera parte versuum 11, 12, 13 leguntur, sunt pro futuris exactis. Item Jes. 5, 12 „*opus Jehovae non videbunt, res ab eo gestae iis non conspectae erunt.*“ 1 Mos. 2, 24: „*Vir deseret parentes et junctus erit uxori, et facti erunt unum corpus.*“

§ 124, 4. Gesenius haec habet: *Sofern das Praeteritum für das Praesens steht*“ etc. His ita mutatis, ut dicatur: „*Sofern das Praeteritum für das Futurum exactum steht, und dies gebraucht werden kann, um das Zukünftige als schon vollendet darzustellen*“ etc., exempla, quae adtulit Gesenius, rectius intelligentur. Ex § 124, 6. hoc unum exemplum convertisse satis erit: 1 Mos. 3, 22: פָּן יִשְׁלַח יָדוֹ וְלָקַח וְאָכַל „*ne manum extendat, quo facto statim arripuerit et comederit*“, quod ita dictum, ut extenta manu statim perfectum videatur, ut

arripiat et comedat. Quo in loco Gesenii verba: „*Der Hebräer setzte nun das erste Verbum in das vom Sinne erforderte Tempus, die übrigen sich daran knüpfenden in das einfachste und nächste (sic!)*“ inepte fere dicta puto. Rectius autem addit, similem esse usum infinitivi absoluti, qualem describit § 128, 4, a. Nam hoc quoque indicatur, actione ejus verbi, quod antecessit, alteram rem quasi effectam esse, ut in locis citatis Dan. 9, 5 מִרְרַנִּי וְסוֹר „defecimus, eoque effecta est cessio“, et Jer. 32, 44: „Agros ement, eoque effecta erit scriptio.“— § 125, 2. 1 Reg. III, 7. לֹא יָדַעְתִּי proprie est: „ut nesciam, vel qui nesciam“, idque arcte cum antecedentibus „sum admodum puer“ cohaeret. Nec aliter interpretandus est alter locus Jes. 1, 13. Quod autem Hebraei in iis sententiis, in quibus, quia semper verae sunt, nullum tempus definitur, saepe futuris usi sunt, id propterea factum est, quod ea, quae talibus sententiis continentur, semper futura videntur et quae exspectari possint. —

Quae § 125, 3 et 5 et § 126, 1—2 leguntur, ea infra attingam, ubi de modis verbi scripturus sum, de iis autem, quae § 125, 4 et 126, 3 leguntur, jam supra satis diximus. Hoc tantum addam, in iis locis, ubi futurum conversum praesenti aut futuro reddi possit, scriptorem rem ut gestam et mente intueri et narrare. Denique ad ea, quae § 131 de participio aguntur, nihil addendum est.

Nunc continuos aliquot locos interpretabor. 1 Mos. 14: 1) [Factum est] tempore Amraphelis etc. 2) bellum conseruerant cum Bera etc. 3) hi omnes convenerant in vallem Siddim, quod nunc est mare Salis. 4) duodecim annos subjecti fuerant regi Kedorlaomer, tertio autem decimo defecerant. 5) Et quarto decimo anno egressi (proprie egressi erant) Kedorlaomer et reges, qui cum eo erant, vicerunt Rephaitas etc. 7) Et redierunt et pervenerunt ad fontem Mischpat, cui nunc Kadesch nomen est, et vicerunt omnem agrum Amalekitarum et Amoritas quoque, qui habitabant in Chazazon Thamar. 8) Tum profecti sunt rex Sodomitarum etc. et aciem instruxerunt contra eos in valle Siddim. 10) Omnis autem vallis Siddim constabat foveis bitumineis, in quas fuga illati sunt reges Sodomi et Gomorrhæ. Reliquiae autem copiarum in montes fugerant. 11) Rapuerunt autem omnes divitias et quidquid erat Sodomi et Gomorrhæ, et abierunt. 12) Et Lotum quoque, fratris filium Abrami, qui Sodomi habitabat, et divitias ejus rapuerunt et abierunt. 13) Et venit profugus quidam et nunciavit Abramo Ebraeo, qui habitabat in quercubus Mamre etc. 14) Atque audivit Abram captum esse fratrem suum et

eduxit servos suos trecentos et octodecim. 15) et illos persecutus est usque ad Dan, et nocte cum servis suis eos aggressus est et vicit et persecutus est eos usque ad Howah etc. 16) Et reduxit omnes divitias, atque etiam Lotum ejusque divitias reduxerat et mulieres et populum. 17) Eique e pugna etc. reverso obviam ivit rex Sodomi etc. 18) Atque Malkizedek rex Solymorum, qui sacerdos erat Dei summi, panem et vinum adtulera. 19) Qui ei benedixit, faveat tibi, inquit, Deus summus, dominus coeli et terrae. 20) Et Laudetur Deus summus, qui hostes tuos potestati tuae subjecerit. Abram autem ei decimam partem omnium rerum suarum dedit. 21) Rex autem Sodomi Abramo dixit: Redde mihi homines, divitias retine. 22) Dixitque Abram regi Sodomi: Sustuli manus meas ad Jehoham, Deum summum, dominum coeli et terrae. 23) Nihil retinebo ex omnibus, quae tibi sunt, nec dices: Abramum divitem reddidi. 24) Exceptis iis, quae servi comederunt et parte praedae eorum virorum, qui mecum profecti sunt, qui suam partem accipient. —

Ps. 3. 2) Jehova, quam multi facti sunt adversarii mei, multi surgunt contra me. 3) Multi dicunt de me: Nulla ipsi in Deo salus est. 4) Sed tu, Jehova, scutum meum, gloria mea, tu erigis caput meum. 5) Voce mea ad Jehovam clamabo. A monte suo sancto exaudivit (= exaudiet) me. [Aoristo res quasi gesta narratur, quamquam in futurum tempus cadit; nisi forte mavis praeteritum tempus ita intelligere, ut sit: aliquando exaudivit me = exaudit me.] 6) Ego dormitum ivi et expergefactus sum, nam Deus is est, qui me sustentet (= sustentat me). 7) Non timebo a multitudine hominum, qui contra me castra posuerunt. 8) Surge, Jehova, et serva me! Nam omnibus hostibus meis malas contuderis (= contundes) et dentes impiorum fregeris (= franges). 9) In Jehova salus est. Populo tuo faveas.

Micha 4, 1. Et factum erit futuro tempore, ut sit mons, in quo est aedes Jehovae, constitutus in capite montium et elatus supra tumulos; in quem confluxerint (= confluent) populi. 2) Et advenerint (= aderunt) gentes multae et dixerint (= dicent): Agite, ascendamus in montem Jehovae et aedem dei Jacobi, ut doceat nos vias suas, et ut insistamus eas; nam a Zione lex exibit et verbum Jehovae ex Hierosolymis. 3) Judicaverit (= judicabit) inter populos multos etc. et enses conflaverint (= conflabunt) in vomeres etc. tum non jam populus populo arma inferet, nec bella discent. 4) Et consederint (= sedebunt) sub sua quisque vite et ficu etc. 5) Nam omnes populi in sui

quisque Dei nomine vivent etc. 6) Illo tempore, inquit Jehova, claudos congregabo et exsules colligam, et eos, quos cladibus affeci. 7) Et claudos fecero superstites, et remotos populum potentem; et Jehova in monte Zion in aeternum eorum rex factus erit. —

De modis verbi Hebraici.

Minus etiam quam tempora modi verbi Hebraici, certis quibusdam formis distinguuntur. Dum enim ibi quamquam non omnes rationes, at unam tamen temporis definiendi habes, hic, excepto imperativo, nihil fere est, quod cum modis Graeci vel Latini verbi possit comparari. Omnisque res tam parum ex-culta est, ut modorum ratio ipsis temporibus contineatur, et ut temporum formis Hebraei simul utantur ad modos exprimendos. Quod quidem apud Hebraeos ideo facilius videtur fieri potuisse, quia absoluta tempora iis fere nulla sunt, relativis autem ea ratio exprimitur, quae inter duas actiones intercedat; quam quidem rationem cum modorum ratione commutari posse apparet. Res enim, quae antecessit alteri, ejus causa et conditio, ea autem, quae sequitur alteram, hujus vel finis, [vel effectus, vel simile quid haberi potest. Atque haec quidem causa, cur Ewaldus aliique adeo diversis temporum formis proprie modorum rationem inesse voluerint. Ita factum est, ut et praeteritis et futuris Hebraei simul uterentur ad ea exprimenda, quae Latini conjunctivis suis dici voluerunt. Ac simul intelligitur, cur idem participiis non sit factum, quippe quibus rem rei praesentem significarent.

Quo autem clarius singula perspiciantur, ordine rem ita tractabo, ut, quomodo ea, quae Latinorum conjunctivis insunt, Hebraice dicantur, ostendam. Haec autem fere sunt genera Latinorum conjunctivorum, ut conjunctivus aut sit hypotheticus, aut optativus, aut imperativus et concessivus, aut obliquus. Horum quem postremum nominavi, apud Hebraeos non invenitur, nec indirecta oratio a directa ullo modo distingui potest. Restant tria reliqua genera. Hypotheticae autem sententiae praeterito redduntur, ubi Latini conjunctivis perfecti et plusquamperfecti, futuro, ubi Latini conjunctivis praesentis et imperfecti utuntur; qua in re inter potentiales et irreales sententias distingui non posse apparet, quia una tantum forma est. Hypotheticam

autem aliquam sententiam esse, plerumque ex particulis conditionalibus discimus, quales sunt אִם , כִּי , haud raro tamen nihil est, quod doceat, nisi quod ipse sensus, ut locus hypothetice explicetur, flagitat. Unde haud parvae interdum interpretibus difficultates nascuntur, maxime ibi, ubi ommissa conditione apodosis hypothetica legitur. (Cf. Gesen. §. 124, 5, b. §. 125, 5 et 3, d. Monendum autem in §. 124, 5, a. parum recte statuuisse Gesenium, docentem, praeteritum etiam imperfecti conjunctivo respondere posse, quod in his sententiis nunquam fit. Nec minus falsum est, quod §. 125, 3, d. concessivum et potentialem modum confudit, et exempla utriusque temere conjunxit.)

Optativum Hebraei fere eodem modo, quo hypotheticum exprimunt. (Cf. Gesen. §. 124, 5, b. §. 125, 3, b. Quibus praeterea vel constructionibus vel particulis in re aliqua optanda usi sint, Gesenius docet §. 133, 1 et 2.)

Denique imperativum et concessivum, quae hujus conjunctivi natura est, futuro tantum reddunt, nec refert, utrum id, quod aliquis fieri vult, per se stet, an ab altero verbo pendeat. Qua in re monendum, in prima persona Hebraeos fere paragoga forma, in ceteris apocopata usos esse. (Cf. Gesen. §. 125, 3, a. c. d. §. 126, 1, a. b. c. et §. 126, 2.)

Jam pauca de imperativo et utroque infinitivo addam. Et imperativi quidem plane idem usus est apud Hebraeos, qui apud Graecos et Latinos. Mirum autem est, quod Hebraei nunquam negationem ipsi formae imperativi adjecerunt, sed, ubi aliquid vetari voluerunt, sive לֹא sive אַל praemisso, (quorum illud „non“, hoc „ne“ esse, grammatici recte docuerunt), futuris usi sunt. Cujus rei eadem causa videtur fuisse, atque ea, ob quam futuro converso nunquam negationes adjectas vidimus. Ut enim ibi verebantur tempore non definito id narrare, quod non factum est, sic hic persona non definita noluerunt exprimere, quod fieri vetabant. Ipso igitur imperativo ibi tantum utebantur, ubi aliquem aliquid facere jubebant. Quare nec nisi secunda persona imperativorum formata est. Nam non dubium est, quin in iis locis, quos Gesenius § 127, Anm. 2. commemorat, non imperativos sed infinitivos habeas. Ceterum ad ea, quae Gesenius § 127. docet, nihil addendum est, nisi quod ibi 2, Not. 1. docens, etiam praeteritis notionem imperativi inesse posse, ita falsus videtur esse, ut imperativum cum optativo confuderit.

Denique infinitivorum duae formae sunt, quarum unam, quae plerumque plenior est, absolutam, alteram constructam vocant. Et illa quidem et

literis et usu propius ad praeteritum, haec ad futurum accedit. Quare absoluta forma res perfecta indicatur, atque eam plerumque alteri verbo appositionis loco ita adjiciunt, ut quod huic verbo inest, vere perfectum dicatur, rarius ea pro ipso tempore finito utuntur. (Singula Gesenius § 128. persecutus est.) Constructo autem infinitivo eas res significant, quae cum altero verbo vel nomine vel praepositione ita cohaereant, ut ejus sint aut subjectum aut objectum. Quomodo autem in his lateat futuri vis, facile inde intelligitur, quod ei id videmus inesse, quod alteram rem sequitur eaque efficitur. Sic ut Gesenii primis exemplis utar, quae in § 129, 1. leguntur: 1 Mos. 2, 18: „Non ita bonum est, ut homo solus sit.“ 1 Mos. 29, 7: „id tempus, ut colligatur.“ 1 Reg. 3, 7: „Non sum ita peritus, ut exeam et introeam.“ Quomodo autem infinitivis constructis, ubi praepositiones praecedant, eae partes orationis, quae alteri sententiae praecedunt aut mediis ejus verbis interjectae sunt, efficiantur, apud Gesenium § 129, 2. legi poterit.

